

Stephan Klotz

**Rector Universitatis Rostochiensis, Stephanus Clotz, S.S. Theol. P.P. & ad D. Jacob. Ecclesiastes. Ad Passionalia Crucifixi Christi, Pie sobrieq[ue] peragenda, & Orci Bacchanalia sedulo serioq[ue] fugienda, Omnes & singulos Academiae Cives, Hortatur & invitat,**

Rostochi[i]: Pedanus, 1634

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739729829>

Druck Freier  Zugang







RECTOR  
Universitatis Rostochiensis,  
STEPHANUS CLOTZ,  
S.S. Theol. P. P. & ad D. Jacob.

Ecclesiastes,

Ad

*Einladung für  
Herrn de*

Passionalia Crucifixi

CHRISTI,

Pie sobrieq; peragenda, & Orci  
Bacchanalia sedulo serioq;  
fugienda,

Omnes & singulos Academia  
Cives,

Hortatur & invitat,



ROSTOCHI,

Litteris JOACHIMI PEDANI, Acad. Typog.  
ANNO M.DC. XXXIV.

1634

*R. U. - theol 1634 / Clotz, Stephan / B*



RECTOR  
Academix Rostochiensis  
STEPHANUS CLOTZ,  
S. S. Theol: P. P. & ad D. Jacob.  
Ecclesiastes.



Antiquissimus est *Bacchanalio-  
rum* ritus, & ferme bis mille jam  
annis ante Christum natum ce-  
lebrari cœptus, Primò ab *Ægy-  
ptiis* & *Indis*; post Melampo  
quodam Amitheonis filio au-  
ctore, qui ex *Ægypto* primus in  
*Græciam* detulit, à *Græcis*: Nec  
ita multo post à *Græco* quodam ignobili sacrorum  
Antistite in *Etruriam*, tandemq; etiam *Romam* delat-  
tus, lateq; per ipsam orbem dispersus, ut fere non di-  
cam regio, sed nec gens populusvè superfuerit, quem  
malum illud quasi pestifera lues non infecerit: Ipsi de-  
niq; in *Palæstina* *Judæi* coacti sunt εὐχρηθῆναι διοριστῶν cele-  
brare, & κισσοῦς ἐξενεῖν καὶ πομπὰς εὐεῖν τῶν διοριστῶν, ut *Maccabeo-  
rum historia* testatur. *Bacchus* verò iste, cujus in hono-  
rem ita insaniebatur, fuit *Jovis Regis Cretici* filius, ex  
adultera matre natus, eoq; uxori *Junoni* admodum ex-  
osus, quæ novercalis animi furore mota, ad necem In-  
fantis

fantis omnifariam struxit insidias, donec tandem peregre profecto Patre (qui cum sciret mulieris Indignationes, ne quid dolo machinaretur, interea fidelibus, sicut ipsi videbatur, custodibus filij tutelam commisit) occasionem naeta, custodes regalibus primò præmijs corrumpit, post crepundijs & speculo affabrè facto puerum ad insidiarum locum astutè pellicit, ubi interceptus trucidatur, & ne vestigia necis superessent, frustillatim inter Satellites dividitur, decoctaq; variè pueri membra inaudito usq; in hunc diem epulo consumuntur: Revertenti Jovi Minerva filia (quæ cor, ut manifestum haberet delationis indicium, sibi servarat) facinus ordine exponit, qui luctus acerbitate & facinoris atrocitate commotus in ultione filij nil prætermisit, & per omnia tormentorum genera bacchatus, necem affectu quidem Patris, sed potestate Tyranni vindicavit: Cretenses ut furentis Tyranni sævitiam quodammodo mitigarēt, festos Libero defuncto dies statuunt, & annum sacrum trietericâ consecratione componunt, omnia per ordinem facientes, quæ ipse puer moriens aut fecit aut passus fuit: Et sic in Tyranni honorē Deus ille à plebe factus, qui ante trucidatus & inaudito epulo ab homicidis consumptus est. Hæc si vera sunt, quæ *Julius Firmicus Maternus* refert, Cretenses αἰὲς ἑβύται νεοῖα θεοῦ ἀπασιπέος θεοῦ, uti ex *Epimenide* eos *Paulus* describit, horum furorum verius quam festorum primi sunt auctores: Furorum dico! Quid enim hic furor non sit, ubi,

— — — clamor juvenilis, & una  
Fæmineæ voces, impulsaq; tympana palmis,  
Concavaq; æra sonant, longoq; foramine buxus?

A 2

Furor

Furor non fuerit, ubi horrendis commistionibus luxuq; nefando templa & sacraria profanata, teterrimæ libidines, adhibitis tympanis, cymbalis, & ululatus exercitæ, mutua cædes sine discrimine factæ, & cadavera in specum, ac si à Dijs rapta fuissent, projecta sunt? Ubi nudi cum nudis ad sacra quæ non nisi nocturna erant, convenerunt, Caput omnes pariter, & femoralia pampinis uvarumq; racemis cincti, & tumultuario cætu invicem commisti, in sublime saltarunt, variis gestulationibus brachia, cervicem, caput moverunt, incondita carmina Baccho cantarunt, neq; desierunt prius, quam defatigati resupinarentur, proximioribus inhærentes, aut in pavimento fanatici amentesq; procumberent? Furor non fuerit, ubi Bacchi statua cum carminibus inconcinnè in ejus laudes compositis patrio cujusq; nationis idiomate culta & circumlata? ubi larvis quisq; & personis è corticibus arborum induti, & vini quandoq; fæcibus peruncti tam ridicula, tam parum decora, tam obscena, turpia & pudore plena effutierunt, ut sine larva aut persona dicere omnino puduisset? Phallosq; gestarunt & veretra ficulnea, de quibus coram castis auribus mihi verba facere est religio? ubi vineis lustratis ad altare Bacchi redeuntes sacras victimas lancibus obtulere, post arboribus imagines sive fictiles sive ligneas Baccho sacras, quas oscilla dicebant, appendere, quibus ita actis ad convivium reversi lautissimè geniū suū curarunt, nihil deniq; facinoris & flagitij prætermiserunt, ita quidem ut dicente *M. Porcio Catone nunquam tantū tamq; latè patens malum in Rom. Rep. cognitum fuerit, & quicquid libidine quicquid fraude, quicquid scelere peccatum est, ex illo unico sacrario ortum sit.* Sed, utinam

nam in isto solū ævo hæc culpa, & hic furor Βακχουόντων  
 subsidisset, & Bacchus ille, non Deus, sed Tartari & Me-  
 gæaræ filius in illum solummodo orbē ultimus eū disse-  
 minasset! Eheu incidit in tempora nostra, quod nescio  
 quo fato prædixit nobis Seneca: *Habebitur aliquando e-  
 brietati honor, & plurimum meri capisse virtus erit*, & quod  
 majores nostri questi sunt, hoc nos querimus, hoc po-  
 steri querentur everfos esse mores, regnare nequitiam,  
 in deterig res humanas & in omne nefas labi: & in vitus  
 adjiciam, nos, qui, *D. Perro* monitore, non debebamus  
 συχνασιζουσαι ταις περσευ εν τη αγνοια ημων επιδουσαι; &  
 secundum eum qui vocavit nos, sanctum, in omni con-  
 versatione sancti fieri: Nos inquam qui vocatione san-  
 cta vocati sumus, istis furoribus agi in furorem, & Eth-  
 nicorum illos ritus furore plusquam Ethnico imitari!  
 eoq; præcipuè tempore ubi Christum in cruce pen-  
 dentem meditari fas fuisset: Dum tristis est ille, ac si  
 jam animam ageret; nos in cachinnos solvi: dum in ti-  
 more & tremore est ille, ut globi sanguinis corpore de-  
 fluant; nos dulci falerno æstuare: dum noctu capitur  
 ille, & à judice ad judicem insons rapitur; nos noctu  
 per plateas insipientes debachari: dum aëra gemitibus  
 & ejulatibus implet ille; nos boatibus & ululatibus per-  
 sonare: dum vitam animamq; pro salute nostra pro-  
 fundit ille; nos animam vitamq; perdere: dum miser-  
 rimus, novissimus, abjectissimus virorum est ille; nos  
 larvatos, hirsutos, cornutos, caudatos, rostratos ince-  
 dere: mox anum ridiculam, mox impexum agricolam,  
 mox infiectum scurram, imò & Cacadaemonem ipsum,  
 ne quid turpitudinis desit, repræsentare: Grande verò  
 hoc sit nefas, ipsaq; non morte sed gehenna expiandū!



Smyrnei *Herod.* teste, urbem Smyrnam Bacchi sacra celebrantes amiserunt: Colophonij enim per seditionem sedibus remoti, post verò urbe recepti, Smyrneos extra urbem Bacchi sacra festive celebrantes oclusis portis fugarunt. Viderint, viderint, ne dum bacchantur nostri, & extra sanctam pietatem vagantur, oclusis portis animam occupet Diabolus. Senatus Rom. festi hujus Bacchici turpitudine commotus præceptum dedit tum Romæ tum per omnem Italiam festum illud abrogandi, ut *Livius* & *Herodotus* testantur: Quidni ergo nos turpitudine temulentix & divini mandati auctoritate ducti nobis illud ipsis abrogemus? Scythæ, ut ait *Herodotus*, Græcis bacchandi consuetudinem probro dabant, quod dicerent non esse credibile DEUM inveniri, qui homines eò dementix agat: Et nobis probro non sit ita debacchari & insanire, penes quos non solum incredibile sed & inauditum esse debet hoc genus flagitij? Vos ergo ô Cives Academici, Vos inquam, qui ad decus & gloriam nati, pietatis, Modestix & Eruditionis consecrati estis, procul este ab illius affectis

—*quem circum tigres simulacraq; inania lyncum  
Pictarumq; jacent fera corpora Pantherarum!*

Procul ab iis, qui ampullis & trullis inter sese assidue concertant, potatica lege invicem digladiantur, & si fors volet, pocula tandem in tela vertunt, Scyphum in faciem jaciunt convivæ, clamitant, ululant, vulnerant, saltant, stertunt, dormiunt, evomunt, & vel porci fiunt, immodicis potationibus quasi in haralutulenta fagnati, vel simix in Protei Polypiq; morem versatiles, vel leones omnia, sursum deorsumq; vertentes, raptantes,

s, quassantes, conterentes, confringentes: Imprimis  
etiam Capræ, quæ Cerere & Baccho initiatæ in Vene-  
rem omni impetu rûere satagunt; De quibus non me-  
tuo ne domum, quod *Diogenes* olim de ebrioso conji-  
ciebat, cujus domum venalem esse indicabat affixa,  
schedula, sed ne vitam tandem & animam expuant  
lurcones; aut quod *Basilius*, dicebat, opes, facultates,  
rationem, ipsam deniq; animam vino & poculis sub-  
mergant. / Hic vero inter causas malorum nostrorum  
est, quod vivim9 ad exempla, *ut verbis Senecæ loquar*, nec  
ratione componimur, sed consuetudine abducimur!  
Quod si pauci facerent nollemus imitari, cum plures fa-  
cere cæperunt, quasi honestius sit, quia frequentius, se-  
quimur, & recti apud nos locum tenet error ubi publi-  
cus factus est: Hæc perpetramus, quia alij fecerunt:  
insanimus quia alij insani verunt, crucifixum nostrum,  
ostentui habemus, qui alij habuere, hic mos noster est,  
quia aliorum est, Ita versat nos & præcipitat traditus  
per manus error alienisq; perimus exemplis, Nemo  
sibi tantum errat, sed alijs erroris causa & autor est:  
Hanc vero nostri seculi dementiam, per Deum & cru-  
cifixum Vos obtestor, animis, moribus, sedibusq; ve-  
stris exesse jubete, & cum insaniunt, bacchantur, & pe-  
reunt alij, Vos ut insaniatis cum iis & pereatis cavete:  
Vitis tres fert Uvas, prima voluptatis, secunda ebrieta-  
tis, tertia mæroris est. Non hanc & istam sed illam de-  
cerpamus, parcè & modicè si ferat sors, vino utamur,  
parvo, vivamus, jucunditati pütemus & sanitati, non  
ebrietati & furori nos vinumq; nostrum creatos esse.  
Redempti à vana illa conversatione non nostris deli-  
cijijs ac desiderijs, sed voluntati DEI hoc quicquid est  
tempo-

tēporis vivamus : Meditemur amores & dolores  
Crucifixi nostri: Hæc sit sublimior Philosophia nostra  
scire Iesum eumq̃; Crucifixum: Hic cibus sit & potus  
dulcedo & consolatio nostra, mel nostrum & deside-  
rium nostrum, lectio nostra & meditatio nostra, oratio  
& contemplatio nostra: Semper cogitemus illum qui  
homo propter nos, servus propter nos, egenus propter  
nos, calamitosus propter nos, in cruce, in morte, in se-  
pulcro, in inferno propter nos; Hic sit fasciculus  
myrrhæ nobis pendens inter ubera. Nemo est qui  
sui quid sit officij, nesciat, modo quod novit & ipse  
faciat, neq̃; Atheniensibus sit similis, de quibus *Cicero*:  
*Athenienses quæ recta sunt scire sed facere nolle*: Vel, servo  
illi refractario, qui voluntatem Domini quam novit  
facere detrectat, eoq̃; multis plagis afficiendus. P. P.  
sub sigillo Rectoratus, ipsa Dominica Quinquagesimæ  
Anno M. DC. XXXIV.







s, quassantes, conterentes, confringentes: Imprimis  
etiam Capræ, quæ Cerere & Baccho initiatæ in Vene-  
rem omni impetu rûere satagunt; De quibus non me-  
tuo ne domum, quod *Diogenes* olim de ebrioso conji-  
ciebat, cujus domum venalem esse indicabat affixa  
schedula, sed ne vitam tandem & animam expuant  
lurcones; aut quod *Basilius*, dicebat, opes, facultates,  
rationem, ipsam deniq; animam vino & poculis sub-  
mergant. Hic vero inter causas malorum nostrorum  
est, quod vivim9 ad exempla, *ut verbis Seneca loquar*, nec  
ratione componimur, sed consuetudine abducimur!  
Quod si pauci facerent nollemus imitari, cum plures fa-  
cere cæperunt, quasi honestius sit, quia frequentius, se-  
quimur, & recti apud nos locum tenet error ubi publi-  
cus factus est: Hæc perpetramus, quia alij fecerunt:  
insanimus quia alij insani verunt, crucifixum nostrum,  
ostentui habemus, qui alij habuere, hic mos noster est,  
quia aliorum est, Ita versat nos & præcipitat traditus  
per manus error alienisq; perimus exemplis, Nemo  
sibi tantum errat, sed alijs erroris causa & autor est:  
Hanc vero nostri seculi dementiam, per Deum & cru-  
cifixum Vos obtestor, animis, moribus, sedibusq; ve-  
stris exesse jubete, & cum insaniunt, bacchantur, & pe-  
reunt alij, Vos ut insaniatis cum iis & pereatis cavete:  
Vitis tres fert Uvas, prima voluptatis, secunda ebrieta-  
tis, tertia mæroris est: Non hanc & istam sed illam de-  
cerpamus, parcè & modicè si ferat fors, vino utamur,  
parvo, vivamus, jucunditati putemus & sanitati, non  
ebrietati & furori nos vinumq; nostrum creatos esse.  
Redempti à vana illa conversatione non nostris deli-  
cijs ac desiderijs, sed voluntati DEI hoc quicquid est  
tempo-

